Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 423
Quelle:
Copyright:

ſter: *ſanctiſſime Papa Vigili.* Item: *carmina uera canam* pro *carmina vera loquar.* Item *Exametris conſtare ſonis* pro *Hexametris conſtare modis.* In ipſo Opere V. 3. *ſine ſemine membris* pro *ſine Crimine.* V. 23. *Vsque ſub extremum* pro *Usque ad extremum.* V. 35. *Arua deus petiit* pro *petit* &c.

CLI. VII. H. 34

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 38. 4. ſat nitide ſcriptus, partim etiam liquore purpureo, continet *Aratoris Subdiaconi Hiſtoriam Apoſtolicam* verſu heroico redditam, quam jam *Cod.* praeced. indicavimus. Praeſentis porro haec eſt conditio: Praeit Diſtichon: 712

Quis quid ubi quantum cui quare quomodo quando
Qui pietatis opus diligit iſta notet.

Sequitur: *Arator iſte cardinalis ſubdiaconus fuit ſancte romane eccleſie tempore uigilii pape. Qui conſiderans iuuencum et ſedulium ſcripſiſſe metrice actus euangelicos noluit eos iterum ſcribere* (ſecus ac *Michael a S. Joſ.* et *Bailletus* adſeruit) *ſed totum contulit ſe ad actus apoſtolorum deſcribendum. Scripſit autem metrice: quod lucas proſaice. luculentiſſimo ſtilo. et ſermone. id eſt pleno luce et cum magno fauore ter recitauit librum ſuum coram apoſtolico et romanis. Fecit autem hanc* (ſequentem) *epiſtolam ad florianum abatem ſapientiſſimum. ut auctoritate illius roboretur uolumen eius. Fuit autem cardinalis* (ſenſu tempori accommodo) *ſubdiaconus. Et ſciendum quia qui cardinalis fuerit ſubdiaconus ad maiorem minime queat aſcendere gradum. Quando autem hunc compoſuit librum. urbs roma a gothis et a guandalis obſidebatur. Intus quoque in populo de ordinando apoſtolico non minima erat diſſenſio. Tandem vero diuina miſerante clementia urbe ab hoſtibus liberata et papa uigilio* (537.) *ordinato pax eccleſie eſt reddita. Due itaque prefaciones hae habentur. Secunda autem illa* (primae jam ſuperius mentio) *que ad papam uigilium ſcribitur. proprie huic creditur inſita libro. cui etiam arator ſuum obtulit librum. quem et ipſe iuſſit ter recitari in eccleſia beati petri ad uincula. demum traditus eſt ad legendum.* Differt Prooemium iſtud ab eo, quod aliis *Codicibus* praefixum e *Bellarmino* recitat *Leyſerus* in *Hiſt. Poet. med. aevi* p. 148. et *Mazzuchellius* in *Scriptt. Ital. Vol.* I. P. 2. p. 936. ubi de *Aratore* copioſe traditur. Epiſtola porro prima nobis ita inſcribitur: *Domino ſancto et uenerabili chriſti dei gratia abati floriano arator ſubdiaconus.* Initium:

Qui meriti florem maturis ſenſibus ortum &c.

Nil